



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes,
Soliloquia et Manuale**

Augustinus, Aurelius

Coloniae Agrippinae, 1649

Laus Angelorum & hominum, 33

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54885)

rantem, & in tua solummodo misericordia confidentem. Custodi me, quæso, hic & ubique, nunc & semper, intus & foris, ante & retro, supra & infra, circumcirca; ita ut in me nullus pateat locus insidiis inimicorum.

3. Tu es Deus omnipotens, custos & protector omnium in te sperantium: sine quo nemo est tutus, nemo de periculis liberatus. Tu es Deus, & non est alius Deus præter te, neque in cælo sursum, neque in terra deorsum: qui facis magnalia, & mirabilia, & inscrutabilia, quorum non est numerus. Te decet laus, te decet honor, te decet hymnus. Tibi omnes Angeli, tibi cæli & universæ potestates hymnos dicunt, & laudes indefinenter concinunt: utpote Creatori creaturæ; Domino servi, Regi milites: Te sanctam & individuum Trinitatem omnis creatura magnificat, omnis spiritus laudat.

CAPV T XXXIII.

Laus Angelorum & hominum.

1. **T**ibi sancti & humiles corde, tibi spiritus & animæ justorum, tibi omnes superni cives, & cuncti beatorum spirituum ordines, gloriam & honorem suppliciter adorantes concinunt sine fine. Laudant te, Domine, illi superni cives magnifice & honorabiliter. Laudat te homo, magna portio creaturæ tuæ. Sed & ego peccator homuncio, desiderio magno cupio te laudare, amare te opto amore præcipuo. Deus meus, vita mea, fortitudo mea, & laudatio mea, dignare

me laudare te. Da mihi lumen in corde, verbum in ore; ut cor meum meditetur gloriam tuam, & lingua mea tota die cantet laudes tuas.

2. Sed quia non est pulchra laus in ore peccatoris, & quia vir pollutis labiis ego sum: munda, obsecro, cor meum ab omni inquinamento: sanctifica me, sanctificator omnipotens, interius & exterius: & fac me dignum laudibus tuis. Suscipe benigne & acceptabiliter de manu cordis, & de mentis amore, suscipe sacrificium labiorum meorum, fiatque acceptabile in conspectu tuo, & ascendat ad te in odorem suavitatis. Memoria tua sancta, & dulcedo tua beatissima, possideat totam animam meam, atque in invisibilium amorem rapiat eam. Transeat de visibilibus ad invisibilia, de terrenis ad coelestia, de temporalibus ad aeterna: transeat & videat visionem mirabilem.

3. O aeterna Veritas & vera charitas, & chara Aeternitas, tu es Deus meus, ad te suspiro nocte ac die; tibi inhio, tibi intendo, ad te pervenire desidero. Qui novit te, novit veritatem, novit aeternitatem. Tu veritas super omnia praesides, quem videbimus sicuti es, cum pertransierit haec vita caeca & mortalis; in qua dicitur nobis, ubi est Deus tuus? Et ego dico: Deus meus ubi es? Respiro in te paululum, cum effundo super te animam meam in voce exultationis, & confessionis soni epulantis, & festivitatem celebrantis, & adhuc tristis est, quia relabitur, & fit abyssus: vel quin potius,
sentit

sentit se adhuc esse abyssum. Dicit ei fides mea, quam accendisti in nocte ante pedes meos.

4. Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me? Spera in Deo: lucerna pedibus meis verbum ejus. Spera & persevera, donec pertranseat nox, mater iniquorum; donec pertranseat ira Dei, (cujus fuimus aliquando filii, fuimus enim aliquando tenebræ) donec pertranseat iste impetus aquarum: residua adhuc trahimus in corpore propter peccatum mortuo, donec aspiret dies, & inclinentur umbra. Spera in Domino, mane astabo, & contemplabor, semperque confitebor ei. Mane astabo, & videbo salutare vultus mei Deum meum, qui vivificabit mortalia corpora nostra, propter inhabitantem spiritum ejus in nobis, ut jam simus lux, dum adhuc spe salvi facti sumus, & filii lucis & filii diei, non noctis neque tenebrarum. Fuimus enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in te Deus noster, & tamen adhuc per fidem, necdum per speciem. Spes enim quæ videtur, non est spes.

5. Laudant te Domine illi populi Angelorum tuorum immortales, & glorificant nomen tuum cœlestes virtutes; quæ non habent opus legere hanc scripturam nostram, & cognoscere te sanctam & individuum Trinitatem. Vident enim faciem tuam semper, & ibi legunt sine syllabis temporum, quid velit aterna voluntas tua: legunt, eligunt & diligunt, semperque legunt, & nunquam

præterit id quod legunt. Eligendo & diligendo legunt ipsam immutabilitatem consilii tui, & non claudetur codex eorum, nec plicabitur liber eorum, quoniam tu ipse illis hoc es, & eris in æternum. O beata nimium illa cœlorum virtutes, quæ laudare possunt te sancte & purissime, cum nimia dulcedine & ineffabili exultatione. Inde laudant unde gaudent, quia semper vident unde gaudere valeant & laudare.

6. Nos vero mole carnis pressi, & procul à vultu tuo in hac peregrinatione positi, atque per mundanas varietates distenti, te digne laudare nequimus: laudamus tamen per fidem, non per speciem: illi vero Angelici spiritus per speciem non per fidem. Hoc enim caro facit, ut multo aliter laudemus quam illi. Sed licet diversis modis laudes dicamus, tu unus es Deus creator omnium, cui sacrificium laudis in cœlo & in terra offertur, perventuri tamen sumus misericordia tua ad eorum consortium, cum quibus te semper videbimus, & sine fine laudabimus. Tribue Domine, ut donec in hoc fragili corpore positus sum, laudet te cor meum, laudet te lingua mea, & omnia ossa mea dicant: Domine, quis similis tui?

7. Tu es Deus omnipotens, quem trinum in personis, & unum in substantia Deitatis, colimus & adoramus, Patrem ingenitum, Filium de Patre unigenitum, Spiritum sanctum de utroque procedentem, & in utroque permanentem, sanctam & individuan Trinitatem, unum Deum omnipotentem.

Qui

Qui cum non essemus, potenter fecisti nos
& cum perditii fuisset culpa nostra, pietate
& bonitate tua mirabiliter recuperasti nos;
Ne finas nos esse ingratos, obsecro, tantis
beneficiis, & indignos tam multis misera-
tionibus: te deprecor, supplico & rogo, auge
fidem, auge spem, auge charitatem.

8. Fac nos per ipsam gratiam tuam sem-
per in fide stabiles, & in opere efficaces: ut
per fidem rectam & condigna fidei opera, ad
vitam te miserante perveniamus æternam:
ut ibi videntes gloriam tuam sicuti est, ado-
remus Majestatem tuam, & dicamus pariter,
quos dignos feceris videre gloriam tuam:
Gloria Patri, qui creavit nos: Gloria Filio,
qui redemit nos: Gloria Spiritui sancto, qui
sanctificavit nos: Gloria summæ & indivi-
duæ Trinitati, cujus opera inseparabilia sunt,
cujus imperium sine fine manet. Te decet
laus, te decet hymnus, tibi debetur omnis
honor, tibi benedictio & claritas, tibi gra-
tiarum actio, tibi honor, virtus & fortitudo,
Deo nostro in sæcula sæculorum, Amen.

C A P V T X X X I V.

*Hic conqueritur homo, quod non compungitur in
contemplatione, ex quo Angeli quoque
tremunt Deum videntes.*

1. **I**gnosce Domine, ignosce pie, ignosce
& miserere; parce & ignorantia mea,
& multæ imperfectioni meæ. Noli me tan-
quam temerarium reprobare, quod audeam
servus, utinam vel bonus, & non etiam in-
utilis & malus: & ideo valde malus, quia te
omni-